

05

A

1104





JEHOVÆ PRÆPOTENTIS MONARCHÆ  
auspiciis,

*Discursus quartus*

Ad Aureæ Bullæ CAROLI  
QUARTI Rom. Imp.

LEGES IMPERII  
FUNDAMENTALES

*Authoritate Majorum*

Publico disputantium examini, & omnium  
publici juris Indagatorum censuræ

EXPOSITUS;

*Quem*

PRÆSIDENTE

*Amplissimo & Consultissimo Viro,*

Dn. DOMINICO ARUMÆO, Jcto  
Celeberrimo, in Inclyta Jenensium Acad. P. P. ibidemq;  
Curia Provincialis & Scabinatus Assessore digniff.  
Antecessore suo multis nominibus æter-  
nùm honorando.

*In auditorio Jctorum propugnabit*

ANDREAS RUDINGERUS RUDERS-  
DORFO-THUR.

*30. August. horis consuetis.*

JENÆ

*Excudebat Tobias Steinman, Anno 1617.*



MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS ET PRUDEN-  
TISSIMIS VIRIS

DNN. CONSULIBUS  
ET SENATORIBUS  
INCLUTÆ REIPUB.  
LIPSIENSIS.

*Dnn. Promotoribus & Fautoribus  
suis perpetuū colendis*



Discursum hunc AUREÆ  
BULLÆ quartum  
devotè

05 A 1104

*offert & dedicat*

ANDREAS RUDINGERUS R.

DISCURSUUM ACADEMI-  
CORUM

Ad Auream Bullam  
CAROLI QUARTI  
ROMAN. IMPERA-  
TORIS

QUARTUS.

RESPONDENTE

ANDREA RUDINGERO RUDERS-  
dorfino-Thur.

AD CAPUT SEXTUM

De

COMPARATIONE PRINCIPUM ELECTO-  
*rum ad alios Principes communes.*

QUIS ORDO INTER ELECTORES ET  
Principes alios observari debet.

THESIS PRIMA.



Uis ordo inter ipsos Electores ob-  
servari debet, expositum est in tit. 3. & 4. Hoc  
verò, quinam respectu ad alios Principes habi-  
to tenendus sit, exprimitur: Decernit quippe  
Imperat. ut in celebratione Curia imperialis E-  
lectoribus nullus princeps alius cujuscunque sta-  
tus, dignitatis, præminentia vel conditionis existat, præferatur?  
Et rectè. Nam etsi aliorum Principum autoritas, atq; in Rempub.  
studia contemnenda, vel elevanda non sint, Electores tamen &  
digni-

dignitate, & meritis illos superant: Quæ enim major vel sublimior dignitatis amplitudo illis deferri potuit, quam præ cæteris dignoscenferi quorum humeris Imperij Romani celsitudo committeretur, quorumque ex germine quasi decedente Imperatore, Aquila, quæ umbra alarum suarum occidentem regeret, produceretur? Merita quod attinet, certum est, quod postquam hi Principes instituti fuere, eorum prudentia atq; consilio effectum sit, ut & gravissimæ dissensiones, quæ antea de electione Imperatoris exarserant, conquieverint, pax & tranquillitas qualiscunq; in Germania conservata fuerit, insidiosæ & clandestinæ conspirationes exterorum imperij majestati inhiantium repressæ fuerint. *Schard. in prooe. de Elector. Orig. Peucer. lib 5 in pr. Chronicor. Ventura de Valent. lib. 2. c. 3. n. 28 in partib. litigios.* Et quanquam non desint, qui hanc Electorum dignitatem Germaniæ quidem honorificam & salutarem, universo tamen Imperio damnosam extitisse, existiment, quod exteræ nationes ægrè ferentes ad solos Germanos translata Imperij dignitatem, & præcipua munia atque honores paulatim ab obedientia, oneribusque imperij se subtrahere annexi sint, etiam conniventibus Imperatoribus inde lucrum captantibus vel graviore aliqua bellorum aut negotiorum mole impeditis, quod se indignum existimarent, ejus imperij onera subire, à cujus supremis honoribus lege publica exclusæ essent, contra illud Plinij in Panegyry, ad Trajanum, imperaturum omnibus eligi debere ab omnibus, *Alciatus de formul. Rom. Imper. Nicol. Betsius c. 7. de pact. famil. illustr.* Certè Reges Galliarum, Hispaniæ, Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, Daniæ, Norvegiæ, Suetiæ imperio sese subtraxerunt, multi Duces & populi jugum Imperij Romani excusserunt, *Ventur. de Valent. lib. 1. c. 16. n. 32.* quorum avulsione in eam tenuitatem redactum est, ut Petr. Costal. ICTus scribere non vereatur, se nescire an sit, & ubi nam sit Romanum imperium *in l. de quibus ff. de legib. & Iohann. Bodin. c. 7. in method. historiar.* dicit, Germanos Romanorum Imperio præesse, quod cum ita à Germanis scriberetur, ad sui nominis & Imperij gloriam scriptum esse judicavi, *Iohannes Sleidanus in Oration. ad Carolum V.* ingenuè fateatur, quod ex priore illa mole alia multa regna creverint, prorsus ab ipso corpore separata, ita ut nihil omnino reliquum sit præter titulum & nomen, quod adhuc Germania retinet, ad quam postremo est delata potestas creandi Cæsaris.

qui

qui tamen adeò nulla ex parte conferri potest cum veteribus illis Romanorum Imperatoribus, ut ne sedem quidem ipsam Caesarum avitam & priscum domicilium, urbem Romam teneat. At tamen si rem rectè æstimare velimus, non hæc regnorum & populorum avulsio vel Imperatorum socordia, plerosq; n. Germania magnanimos & Imperio dignissimos dedit, vel institutioni Electoralis Collegij, utpote cujus prudenti consilio toties res Romana conservata est, attribuenda erit, sed populis illis specioso libertatis nomine ad rebellandum illectis, Pontificum Romanorum consilijs & molitionibus in Imperij pernitiem, sedis verò Romanæ exaltationem & amplificationem excitatis, Marsil. Patavin. in defens. Lud. Bavar. in præfat, Nicol. Bets. d. c. 7. quorum secessio proficua vel nociva plerisq; sit, ipsi ingentibus suorum Regum exactionibus pressi jam libertatem imperij serius laudantes exemplo columbarum animadvertunt, de quibus versus hi extant.

*Accipitrem milvi pulsorum bella columba*

*Accipiunt Regem: Rex magis hoste nocet.*

*Incipiunt de Rege queri, quia sanius esset*

*Milvi bella pati, quàm sine Marte mori.*

durat, perdurabitq; imperium ad mundi finem, *Benedict. Perer. lib. 2. vers. hujus statue caput, &c. in Daniele, exemploq; servitutis non includitur aut circumscribitur loco, sed ut illa in fundo quæ sita per partes ejusdem indivisi retinetur, l. ut pomum §. si prædium ff. de servitut. totaq; manet in parte indivisa, ut alibi totus fundus est in parte dotis l. fin. ff. de jure dot. Sic Imperium universum pervagatur orbem, manetq; illud ubicunq; Imperator est, Heig lib. 1. quæst. 2. n. 31. Quapropter licet pars magna Imperij ab alijs occupata sit, non ideò tamen extinctum dici potest, sed in parte ea, quæ restat, totum Imperium est, *Marta Neapolit. p. 1. c. 21. n. 27. de jurisdict. quod cum etiamnum hodiè dignitate & robore reliqua post se relinquat regna, Thuan. lib. 2. histor. nil mirum si ejusdem Principes & præcipuè magnanimi Electores reliquos orbis principes non solum in Comitij Imperialibus, verum etiam alijs Principum Christianorum conventibus præcedant: Hinc in concilio Tridentino post Legatos Pontificios præcipuum dignitatis locum obtinuerunt, teste Thuan. lib. 8. historiarum, ut mirandum sit,**

## 170 DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM

in concilio Basiliensi Philippi Ducis Burgundiæ Legatos decreto Patrum Electoribus Prælatos fuisse, teste *Chassaneo part. 5. considerat. 45. in Catalog. Glor. mund.* Nam etsi ille decreti hujus rationes recitet hæc, quod primus par Regni Franciæ & de familia Regum Francorum & Imperatoris erat, inversione tamen ejus argumenti patet, quia Electores pares primi Imperij erant, pro ijs responderi debuisse, quia utique imperium dignius est regno Franciæ: Ergo & ejus pares: Non attenda ratione altera, quod plura pro Ecclesia Romana fecerat, & quia Electores habebant solum nomen officij, Dux verò Burgundiæ nomen dignitatis, nam etsi meritorum magna sit habenda ratio, non tamen in præjudicium alterius eorundem consideratio vergere debet. Et quia in honorum ordine collocando non tam personæ, atque familiæ ipsius, quàm officij & dignitatis, seu administrationis, quam quisque gerit, ratio habenda est, *Modestin. Pistor. Consili. 51. num. 41. vol. 1.* constat Electores, quia dignius, quàm Burgundus officium gerebant, ei præferri debuisse, *Renat. Choppin. lib. 3. tit. 7. n. 13. de doman. Franc.* hujus controversiæ mentionem faciens, hac quoque ratione concilium usum fuisse innuit, quia plures dignitates Burgundus, quàm Electores, habebat: Sexies enim Dux, quindecies Comes erat; Verùm quia quod jam ostensum est, non ad dignitatem familiarum, sed officij in controversia sessionis respiciendum est, hæc quoq; ratio Electoribus obstare non debuit, & si patres ad bullam nostram de imperialibus Comitibus loquentem respicere nolissent, quæ tamen in conventibus alijs eandem rationem habentibus similem suppeditare potuit decisionem, *l. 12. l. 13. ff. de legib.* movere eos tamen debuit textus eam in rem expressus, qui extat *in libro Ceremoniar. Eccles. lib. 1. section. 13. c. 3. de Recept. alien. Princ. Elect. imper.* Principes Electores Romani Imperij, ait, digniores habentur alijs Principibus præter Reges, sicut Cardinales alijs Prælatibus ratione Electionis: Burgundus Rex non erat, præferendi ergo fuerant Electores. Verùm hocce Basiliensis concilij decreto haud dubiè Carolus Philippi filius nixus in Comitibus quoque Ratisponensibus A. 1471. primum locum Electoribus per suos legatos præripere conatus fuit: cum enim post Legatos Electorum collocati, atque ideò despecti priore confessu viderentur, redire



dire in subsellia recularunt : Electores absentibus collegis qui aderant, quanquam summa cum modestia dignitatem communem tuebantur, Burgundi potentiam sui principis & in Germanijs & in Gallijs maximam, Electores parem nobilitatem & vetustum morem objiciebant, seque e corpore Cæsaris cum essent, ne regibus quidem si adessent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cum tres propè horas consumsisset, non antea est sublata, quam Burgundi alteris subselliis ad frontem Cæsaris inter Oratores Regios locarentur, tunc demum & ipsi auxisse sui principis dignitatem, quod in ordine absentium Regum federent, & Electores servasse existimationem suam existimabant, quod exclusi a primis subsellis Burgundi essent, *Campanus tom 2. scriptor. German. Freher. cujus loci recitatione commonemur, Electores quoque in conventibus Imperialibus præferendos esse, quod præter textus nostri generalitatem decreto quodam Rudolphi II. clarescit, cui hæc inter alia verba inserta erant, Daß der Churfürsten Hoheit und Auctoritet mit eines Römischen Keyser Gewalt und Hoheit/daher sie auch fleust/dermassen verbunden/das eine ohne die ander nicht verschmelet werden/auch ohne die ander nicht bestehen kan / ja das die höchste Würde der Churfürsten/damit sie vor andern (NB) Königen und Potentaten gezieret/eben diese ist/ daß sie einen Römischen Keyser / dessen hoheit/autoritet/und gewalt alle andere uberriffi/ von der auch alle andere herfleust/zuzuehlen haben/quod Regis Angliæ Legatus intelligens in coronatione Caroli V. sicut & nuntius Apostolicus pompæ adesse non sustinuerunt, ne ordinarentur, inquit Harman. Maur. post Principes Electores, rati per hoc Principum suorum dignitati derogari, quanquam si textum nostrum penitus perpendamus, de eo non improbabiler dubitari posset. Eo signanter expresso, habet textus, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum hujusmodi, in omnibus & singulis actibus quemcunque Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis casu venire, vel adesse fortè contigerit, immutabiliter antecedit, quo ex textu colligitur, si Rex Bohemiæ nominatim Reges alios antecedere debet, cæteris utiq; Electoribus id inhibitum erit, qui quamvis Regibus comparentur, Reges tamen non sunt: Comparatum enim comparato simile quidem.*



sed non idem est, unde & nominibus & insigniis Regum carent,  
*Heig. quæst. 4 n. 51. lib. 1.* Quapropter in *d. libro Ceremoniarum* Electores dignitate Regibus cedere dicitur. Sed hæc ex observantia decidi debent, nec novum est, etiam eum, qui in majori dignitate est, ratione temporis vel loci ei, qui in minori constitutus est, postponi, *c. à collatione de Appell. in 6.* quod exēplo Regis Bohemiæ ex hoc textu demonstrari potest, qui etsi antiquitate & potentiâ Regibus Galliæ & Hispaniarum cedat, attamen quia & Rex, & ut Elector in actibus Imperialibus consideratur, eos antecedit, extra quos in alijs Principum conventibus tantum abest, ut Bohemo illi cedant, ut Gallus aliquando non erubuerit, cum Carolo V. electo Romanorum Rege in certamen de loco digniore venire. Nam cum A. 1521. Caleti eorum Legati convenissent Antonius de Præto celebris ICrus & Cancellarius Regis Galliæ Mercurio Caroli Cancellario hac de causa præcedentiæ quæstionem movit, quod licet Carolus in Romanorum Regem electus esset, tamē quia nondum à Pontifice unctus erat, Gallo, ut uncto Regi eum cedere debere contendebat, *Chassan. p. 5 confid. 29. in Catal. Glor. mund. Anton. Quæta consil. 1.* Sanè Bohemiæ Regis majestatem propter Regni sui angustias nimium deprimunt nonnulli *Hostiens. in C. constitutus de testib.* Trium quippe dierum itinere diametrum expedito patet *Aeneas Sylv. c. 1. hist. Bohemic.* qui tamen intelligere debebant, majestatis jura locorum spatijs aut regionum amplitudine non definiri: Nam Eumenes fractis opibus nihil præter arcem, in qua obsidebatur, suum dicere poterat, cum tamen de pace ageretur cum Antigono Asiæ Rege, qui ut potentiâ, sic etiam dignitate superior videri vellet, Legatis Antigoni respondit, superiorem se neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret, *Bodin. lib. 1. de Republ. c. 9.* Et rectè, nam, ut Logici tradunt, majus & minus diversas species non constituunt: Quapropter licet Regis ditio unius scopuli terminis finiatur, sicut de Regno Ulyssis Horat. dicit, Si tamen nullum superiorem præter Deum & ensem agnoscat eam majestatem sibi, quam mundi domitor Alexander Magnus assumere potest, nec enim multitudo subjectorum sed libertas regnandi majestatem tribuit, unde rectè *Mench. ait Consil. 36. n. 51.* non est bona consequentia, Est potentius. Ergo dignius, & *Knichen. c. 2. verb. Ducum*

*cum n. 68. de non provocand. jur.* dicit latior finium vel territorij am-  
 plitudo minimè efficit principatum digniorem, ut alium praece-  
 dat constituendo illustriorem *arg. c. legimus dist. 93.* Antigoni qui-  
 dem ad exemplum Rex Hispaniarum Philippus II. fretus tot Re-  
 gnorum & Provinciarum latitudine non semel Regibus Gallia-  
 rum de sessione controversiam movit: His enim quamvis post  
 Imperatorem cæteri Principes cedere constituerunt *Bod. d. Lib. 1.  
 c. 9. de Repub.* Is tamen peracto consilio Tridentino hanc poten-  
 tiæ ac fortunæ suæ fiducia prærogativam tanquam sibi debitam,  
 jam spe devoraverat, ut ait *Thuan. lib. 35. Historiar.* de primo loco  
 importunis apud Pontificem effiagationibus secundum se pro-  
 nunciari petebat, quod cum obtinere in Aula Romana non po-  
 terat, *Thuan. d. loco*, prensationibus varijs apud Maximilianum  
 Imperatorem gentilem suum effecit, ut Principis loco præroga-  
 tiva in aula Cæsarea Legatis Gallicis denegaretur *Thuan. lib. 49.  
 Historiar.* quæ tam insignis injuria visa est Gallix Amiralio Co-  
 limio in edito suo scripto ad Carolum IX. Regem Galliarum,  
 ut inter cæteras bellum propter eam Philippo inferri posse ex-  
 istimaverit, *Thuan. d. lib. 49.* res certè periculi plena est, magna-  
 tibus veteris dignitatis terminos intervertere, sicuti ejus rei ex-  
 empla apud *Cranz. lib. 6. cap. 46. in Saxon.* de Archiepiscopo Co-  
 loniensi & Abbate Fuldensi, *Nauclerum Vol. 2. Generat. 36.* de Mo-  
 guntino & eodem Abbate videre licet: Est enim illis quasi inna-  
 tum circa honores sui prærogativas cautè versari, nec ullius rei ja-  
 cturam gravius, quam ejusdem imminutionem patiuntur, quod in-  
 telligens Frideric. I. Imperator super controversia Coloniensis &  
 Fuldensis interpellatus prudenter respondit, veteres approbamus,  
 ut tenemur, imperij consuetudines, quocirca major an minor æ-  
 quo discrimine est, *Cranz. d. c. 46.* quare pro loco Imperatori debi-  
 to retinendo rectè David Ungnadius Baro Legatus Constantino-  
 poli discessurus, Sultanoque valedicturus, cum à Persico Legato  
 sibi primum locum præreptum cerneret, eo insalutato discedere  
 voluit & debuit, nisi Machemetes Bassa, qui eam rem animad-  
 verterat, Persam inferiore loco sedere jussisset, *Johan. Leunclavius  
 in supplem. Annal. Ottomannic.* Honorabilior quippe est, qui primo  
 loco sedet, *l. decernimus. ibid. Gloss. C. de SS. Eccles. Anton. Quetta cons. 1. n. 4.*  
 Impe-

174 DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM

Imperator verò noster Rege Persarum major est, Legatus ergo ejusdem locum honoratiorem domino suo interverti jure impedivit, cumq; majestatis præminentiaq; intuitu Legato Cæsaris hoc quoque in Aula Turcica dari solear, ut sedendo, aliorum Regum & Principum Legati stando mandata sua exponere soleant: Rectè quoque Caroli V. Imperat. Legatus, cum ad exponenda mandata accitus aliquandiu steteret, neq; considerare jussus fuisset, pallio, quod habebat, substrato insedit, & mandata sui Principis intrepidè exposuit, mox consurgens pallium, quod substraverat, reliquit, interrogatus à Turcis, cur id faceret, Cæsaris Legatum sellam sibi portare non solere falsè respondit, *Christoph. Varsevicius in Orat. de Legat. & legationib.* In Regum itaq; & Principum sessionibus series publica turbanda non est. *l. ult. C. de primicer. Knich. d. c. 2. n. 73.* Fieri enim vix potest, quin non eà turbatà inter eos turbæ excitentur periculosa; generosi Spiritus quidvis potius, quàm injurias perferre solent, quod Dux, nescio quis à Carolo VII. Galliarum Rege interrogatus, quam ratione à fidelitate tot experimentis hæcenus sibi perspecta abduci posset, ostendere hac responsione voluit, si vel semel contumeliosè aliquid in me dixeris vel feceris, & exemplo suo Andreas Doria, Maris Præfectus demonstravit, qui à Francisco, I. Rege Gallia, quòd verbo parum honorifico ipsum exceperat, ad Carolum V. Imper. transivit, *Caspar. Ens lib. 1. Epidorp.* Carolus quoq; Borbonius ob demandatam primæ aciei curam Alemonio, quam sibi deberi dicebat ad eundem Imperatorem defecit, *Jovius lib. 22. Historiar.* ut mitius quoq;, quàm ab exteris fiat de Principum Germaniæ concertationibus sessionum intuitu sentiendum sit. Nam cum nobilissimi illi sint, & non ambitu de prærogativa ordinis, sed ut cuiq; dignitas familiæ suæ salva sit, disputent, injurius utiq; in se fuerit, qui posthabita dignitatis ratione minori cedere vellet, quod nec consuetudine, quæ omnium ramen rerum domina esse perhibetur, *Gell. lib. 12. Noct. Atticar. 13* induci potest, *Knich. d. c. 2. n. 25.* Rectè & ad passum præsentem appositè. *Mench. Consil. 51 n. 3. vol. 1.* qui non ambitu & superbia, aut, de ordinis observatione contendunt, laudem merentur. Nam ij nihil aliud mihi agere videntur, quàm ut à Deo ordinata, & rectè constabilita tueantur, ita pariter ij naturam defendunt

dunt humanam, quæ (ut autor est *Iustin. in c. ordinationem Novel. de Monach.*) neque omnes per ordinem inter summos, neque rursus omnes inter novissimos constituit. Iura quoq; ij Pontificia atque Cæsarea observare justè student, siquidem jus Pontificium statuit ordinum dignitatem & gradus fore observandos, *c. solita de major. & obed. c. ut debitus de appellat. c. ex ore. de privil.* ita etiam jus Cæsareum statuisse videmus *l. honor. §. gerendorum l. ut gradatim. ff. de mun. & honor. tot. tit. C. ut dignit. ord. servet. lib. 12.* quanquam nihil ab ipsorum dignitate alienum faciant, si in Comitijs Imperialibus parcius quæstionem sessionis tractent, utilitas quippe imperij & bonum publicum privatis contentionibus, discordiaq; locali impediri non debet, rectè Carolus noster, decor & gloria Sacrosancti Romani Imperij, ait, & honor Cæsareus, & Reipub. grata compendia Illustrium Principum voluntate concordi foventur, *in pr. c. 3.* præcipuumq; æstimatur fundamentum & constantis principatus unum & inexpugnabile munimentum concordia civium & subjectorum, & ut navis compactis & benè conjunctis tabulis infinita propemodum maris pericula, Syrtes, & cautes superat, & evitat, sic ubi tabulæ dissolutæ sunt, per rimas & fissuras paulatim aqua ingrediens in profundum & ipsas, & vectores, & nautas demergit: Et sicuti modicæ commissuræ aquæ dant ad submersionem initium, & nisi jungantur, causam interitus præbent; sic quoque leves ab initio causæ R. . . . nisi citò subveniatur, mutationem & factionibus & discordia solent afferre, *Petr. Gregor. Tholos. lib. 23. c. 1. n. 3. in f. de Repub.* Pensitandumq; illis erit, quod Hieron. Avennatus ad illos & cæteros ordines in Comitijs Ratisponensibus A. 1594. congregatos scripsit.

*O proceres, proceres, dum qua quis sede sedere  
Debeat; inter vos rixa miscentur & ira:  
Ne vestras sedes, & ne charissima quæq;  
Eripiat vobis crudelis Turca, cavete.  
Illum etenim semper discordia vestra potentem  
Fecit & illius victricia reddidit arma.  
Ponite jam, quid cessatis? rogo ponite vanos*

Z

Invi-

*Invidia morsus, odia & mala jurgia, tempus  
Inq; aliud magis appositum differte querelas:  
Publica ne percant privatos propter honores  
Commoda.*

Verum dilceptatio ordinis & sessionis singulis Comitibus recrudescere solet, sicut Legati Principum se in aliorum quandoque locum violenter intrudant, indeque rursus exturbent, *Adamus Keller. Lib. 2. c. 8. de offic. juridico Politic. & de ordine & sessione dilceptantes Principes fundamenta deducunt, duplicant, triplicant, quandoq; etiam concludunt, sententia tamen ad silenda loca se confert, ait Knich. d. c. 2. n. 33. Rationem, qua ad unitatem inter Principes inducendam perveniri posset, nonnulli inquirunt, putavitq; Legatus quidam, taxillis sessionis controversiam terminari posse, Man solte mit Würffeln darumb spielen/ Alij judicio sortis honestius finiri arbitrantur, Ventur. de Valent. cap. 5. n. 9. lib. 2. in Parth. litigios. Pro rostris imperij pender lis, ejusque diremprio Knich. d. cap. 2. num. 123.*

## AD TITULUM VII.

De

## SUCCESSIONE PRINCIPUM.

*Quis Electore mortuo ei in Electoratu succedere debet?*

THESIS II.

Successio iure civili duplex est, Testamentaria, quæ ex testamento, Et legitima, quæ ab intestato defertur, *J. f. Inst. per quas person. cuique acquir.* In Electoratu testamentaria locus non est, *c. unic. de success. feud.* Lex enim publica certum designavit successorem,

rem, quem provisione sua Elector repudiare nequit *Novell. 22. c. 2. l. nemo potest. ff. de legat. 1.* adeoque potentius est, quod in albo, quam quod in testamento loquitur, ut ait *Quintil. declamat. 374.* Pertinetq; Electoratus ut feudum Regale ad Imperium: De rebus autem ad alium pertinentibus dispositio testamentaria cessat *l. verbis legis. ff. de V. s.*

III.

Legitima ergò sola obtinet, cujus etsi quidem jure Civil<sup>i</sup> triplex ordo, nempe ascendentium, descendentium & collateralium reperiatur *Novell. 118.* In Electoratu tamen textus nonster ascendentium rationem nullam habet, vel quia ad descendentes, non nisi mortuis illis successio devolvi solet? aut etiam, quia qui Electoratum acquirit, sibi & liberis, non etiam parentibus suis prospicere censetur? *c. 1. ibid. Hotom. de natur. success. feudi.* Casus tamen ille excipi debet, quando filius respectu patris ob bene merita ejus de Electoratu investitus fuit, tunc quippe filio sine herede masculino decedente pater in Electoratu succedere debet, per tradita *Alvaroz. in c. unic. num. 7. Matth. de Afflict. num. 2. de natur. success. feud:* Meritorum quippe ratione multa permittuntur, quæ aliàs juris dispositione non recipiuntur, *Tiraquell. in l. si unquam, verb. donatione elargitus, n. 11. & seqq. C. de revocand. donat.* Excipi itidem & casus ille potest quo pater filij intuitu Electoratu cessit, exemplum *Crantz. lib. 12. c. 4. in Saxonia de Frederico Luneburgensi, qui filio Bernhardo Ducatum cessit, recitat, hoc quippe pater non ut filij successor, sed primi acquirentis, & post succedentium habetur, Præposit. in c. unic. n. 2. de Vasall. decrep. etat.* Et cum causa cessionis filius fuerit, æquum est eo sublato, cessionis effectum cessare, *l. jubemus ibid. Bartbol. C. ad Sctum Vellejan. l. pactum ibid. Bald. C. de collat.* Lugubre quippe foret, Electoratu simul & filio orbari, *argum. l. 6. in pr. ff. de jur. dot. Myns. cent. 3. observat. 93.*

IV.

Descendentium autem appellatione in successione feudorum quidè non solùm filij, sed & nepotes veniunt, hiq; cū illis simul avo succedunt, *c. un. vers. & quia vidimus de his qui feud. dar. poss. c. un. de feud.*

178 DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM

*success. Henning Goed. Consil. 6. n. 11. Roland. à Vall. 1. Consil. 68. nu. 28.*  
 Per hanc Bullam tamen ab illo jure receditur, siquidem tantum  
 abest, ut in Electoratu nepotum cum filijs concurrentium ratio  
 habeatur, ut nec ipsi filij si plures sint, simul patri Electori succe-  
 dere possint. Decernimus, inquit Carolus noster, ut postquam  
 ijdem Principes Electores seculares, & eorum quilibet esse desie-  
 rit, jus, vox, & potestas Electionis hujusmodi ad filium suum pri-  
 mogenitum legitimum Laicum devolvatur: Quod quidem pri-  
 mum juris de novo introducti circa successionem Electoralem  
 est: ante hanc bullam enim non solum primogeniti, imò & alij  
 etiam tertio geniti, seu à latere descendentes, verba sunt Princi-  
 pum ad Urbanum Papam, se Comites Palatinos Rheni, Duces  
 Saxoniae vel Marchiones Brandenburgenses, & Electores Sacri Im-  
 perij vulgariter nominabant, *Freher. de legit. tutel. curaq. Electoral.*  
*rubi. occasio legis, exemplum extat apud Aventin. lib. 7. Annal. Bojor. fol.*  
*777. Benedicti XII. Pontificis Maximi anno quarto, ait, in Poma-*  
*rio vici Rhenosci, in ripa Rheni amnis, ubi ferè Septemviri Cæsa-*  
*riani Electores convenire, atque de summis imperij rebus collo-*  
*qui solent, Henricus Moguntinus, Valentinus Agrippinensis,*  
*Balduinus Trevirorum Archymista, Rudolphus, Ruperti duo, &*  
*Stephanus præfecti Prætorio Rheni, cum nondum decretum fo-*  
*ret, quisnam eorum Comitij Cæsaris suffragium ferret, Rudol-*  
*phus Dux Saxoniae, Ludovicus Brandenburgensis limitis præfectus*  
*in Electione discordi Friderici & Ludovici, Rudolphus & Ludo-*  
*vicus fratres Duces Bavariae Palatinique Rheni ambo electionis*  
*partes sustinuerunt, Cuspinian. de divis. Imperij ob duos competit. facta.*  
 Et cum Guntherus Schvvarzenburgicus Carolo nostro oppone-  
 retur, illius Electioni Rudolphus Dux Bavariae consentiente fra-  
 tre Ruperto suum ad sensum præbuit. *Cuspinian. in vita Guntheri Eri-*  
*cus quoque Dux Saxoniae in Guntheri designatione adfuit, illi*  
*enim jus eligendi, inquit Cuspinian. competebat tanquam filio*  
*fratris senioris Rudolphi Ducis Saxoniae, qui Carolum nostrum*  
*elegerat, Crantz. lib. 9. c. 26. in Saxoniae, qui & alibi tradit, quod Caro-*  
*lus noster inter hosce dissidentes Principes eam fecerit concordi-*  
*am, ut alternis vicibus ad electionem utriusque vocarentur lib. 12. c.*  
*4. in Saxon. sicuti & in divisione à Ludovico cum Rudolphi Electo-*  
 ris



ris filijs adjectū fuit, quod primam electionem Romanorum Regis haberent Principes à Rudolpho descendentes, alteram verò Principes à Ludovico Imperatore manātes, & hæc alternatio inter ipsos & eorum heredes perpetuis temporibus duraret, *Aventin lib. 7. Annal. Bojorum fol. 753.* atque hoc pactum, subjicit ille, quomobrem nunc sit antiquatum, atque pro obsoleto, irritoque habeatur, nisi nostram ignaviam accusare velim, haut scio: Verūm oculos in hanc bullam conjicienti causam sublatae alternationis jus primogenituræ esse facile constare poterit. Nam cum eā primogenito jus, vox, & potestas Electionis tributa sit, consequens utique per eam reliquos, nec enim natura plures primogenitos profert, electionis jure exclusos esse: suavitq; juris novi constitutionem ratio illa; quam Principes Imperij in dicto suo scripto ad Urban. Papam tangunt, possent, inquit ex nominatione huiusmodi se postea ad vocem Romani Regis electione jus habere, præterdere, numerumque Principum Electorum, qui septenario concludi debet, multiplicare, *Freher. d. loco.* Uni ergo ad vitandam multiplicationem jus eligendi concedi debuit, qui non secundo, non tertio, aut ulteriori loco, sed primogenitus statuitur. Et recte: Huic enim & Dei præscriptum, ipsa natura, & commune Gentium votum adsistunt, quod Perseus major Demetrii Regis filius, cum fratrem suum apud patrem tanquam vitæ suæ insidiantem accusaret, ostendit. Regnare utique vis, ait, huic spei tuæ obstat ætas mea: obstat jus Gentium, obstat vetustus Macedoniae mos, obstat etiam patris judicium: huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes, *Livius lib. 40.*

V.

Verūm quid si primogenitus ille, antequam dignitatem Electoralem consequitur, filio relicto & superitite fratre decedat, utrum hic patri, an ille avo Electori succedere debeat? Vexatissima apud vetustiores fuit controversia, quam Otto I. Imperator gladio dirimendam esse judicavit. & vicit pars eorum, inquit *Wichindus lib. 2. Gestor. Saxonie.* qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est ut æqualiter cum patris hæreditatem dividerent pacto sempiterno, quæ constitutio Ottonis privatorum successiones concertare videtur, æqualemq; cum patris inducit

Z 3

parti-

partitionem: Quæstio nostra est de Electoratu & unius exclusio-  
 ne: nepotis causam Carolus hic probat, illo, inquit, scilicet pri-  
 mogenito non extante, ad ejus primogeniti primogenitum  
 similiter Laicum liberè & sine contradictione cuiuspiam devol-  
 vatur. Quod alterum juris noviter introducti in hac Electo-  
 rali successione est: Fuit enim ante Bullam hanc tempus, quo pa-  
 truus nepotem Electoratu exclusit, quod factum tempore Ru-  
 dolphi Electoris Palatini, qui relictis tribus filijs Adolpho, Ru-  
 dolpho & Ruperto, primogenitoq; Adolpho scilicet mortuo,  
 non ejus filius, sed eo neglecto & sub tutela retento Rudolphus pa-  
 truus Palatinatum & Electoratum tenuit, non, inquit, *Freher. d. loco*  
 sub specie tutelæ, ut aliqui putarunt, sed suo, proprioque jure: ita  
 volente & ordinante ipso Ludovico Cæsare, ejusq; filio Ludovico  
 Romano tunc Marchione Brandenburgensi, & mortuo Rudol-  
 pho sine prole, Rupertus frater ejusdem neglecto itidem Adolphi  
 filio Electoratum & ad eum spectantia, sibi dum vixit, retinuit:  
 quoniam non alia, quam ætatis ratio tunc habita fuit, ut ex *Heinri-  
 co Rebdorffio* circa Annum D. 1313. colligere est. Rudolphus Pa-  
 latinus ait, Comes senior, Dux superioris Bojariæ, Coloniensis Ar-  
 chiepiscopus, & Dux Saxonie senior, &c. & apud *Cuspin. in vita  
 Gunth.* Senioris Rudolphi Ducis Saxonie mentio fit. Verùm con-  
 tra illam ætatis prærogativam pro nepote Carolus concludit, quia  
 ut *Justinian. ait*, æquum est nepotes in patris sui locum succedere,  
*S. cum filius filiave Inst. de hered. quæ ab intest. deser.* Parens autem  
 nepotis patrum suumq; fratrem Electoratu exclusisset, similiter  
 nepos illum submovebit, qualitas enim primogenij, quam ha-  
 buit primogenitus, secundo genito tribui vivente nepote non pot-  
 est, succedi autem Electori patri nequit, nisi per illam qualitatem,  
 quæ nepoti per patrem suum acquisita est, filius quippe patris sui  
 personam repræsentat, & cum illo unus idemq; reputatur, *l. f. C.  
 de impub. & aliis substitit. latissimè Tiraquell. quæst. 40. de jure primogen.  
 Petr. Gregor. Tholos. lib. 7. c. 10. de Republ. Hotoman. Illustr. quæst. 3. Daniel,  
 Moller. 1. semestr. c. 40.*

## VI.

Quid verò si primogenitus absque hæredibus masculis &  
 legitimis,

legitimis, naturalium quippe & spuriorum in hac Electoratus successione ratio non habetur, *Petr. Gregor. Tholosan. lib. 7. c. 8. de Repub.* moriatur? Virtute presentis Imperialis edicti, ait Carolus, jus, vox & potestas electionis ad seniores fratrem Laicum per veram paternalem lineam descendente, & deinceps ad illius primogenitum Laicum devolvatur: quod non de alio fratre, quam ipsius primogeniti defuncti accipi potest: Verum quid si secundo genitus vivo patre decedat, & filium, fratremque tertio genitum relinquat, utrum nepos avo, an filius Electori patri succedet? Casus sed varians circumstantijs accidit in progenie Rudolphi I. Electoris Saxonie, qui reliquit Rudolphum, Ottonem & Wenceslaum: Secundogenitus Otto relicto filio Alberto prius moritur, post Rudolphus superstiti Ottonis filio, & fratre Wenceslao decedit, & pro Wenceslao Carolus noster pronunciavit, sic cum Philippus Elector Palatinus reliquisset Ludovicum, Rupertum, Fridericum & Wolfgangum, mortuo primogenito Ludovico sine liberis, quaesitum fuit, utrum Fridericus tertio genitus, an Rupertus secundogeniti filius Otto Henricus succedere deberet? & Fridericus admissus fuit, quae exempla cum post nostram Bullam contigerunt, ejus intellectum per observantiam interpretativam inducunt, *Auct. d. furs. exor.* Atqui hoc in casu eadem ratio subesse videtur secundogeniti relicti filij ad patrum tertio genitum, quae primogeniti filij ad secundogenitum patrum est, representatio nempe, & propter eam primogenij qualitas: Nam illa mortuo primo proxime secundogenito acquiritur *Ludovic. Molina. c. 5. n. 50. Lib. 1. de Hisp. primog. Tiraq. quest. 41. de jur. primogeni:* ita ut jus non aliud de illo quam circa hunc constitui posse videatur, cumque bulla nostra secundogenitum tertio praeulerit, & ejus liberos eidem praeulisse credimus, *arg. l. cum avus ff. de condit. & demonstrat. l. cum acutissimi C. de fideicommiss.* Estque quaestio nostra de avi successione, quique ultimo decedens locum semper nepoti facit *Tiraq. d. quest. 41.*

VII.

Quid si vero primogenitus Clericus fuerit? Et quidem juxta literam expressam Electoratus ad secundogenitum, aut, si & is Clericus fuerit ad tertio genitum deveniet, qua de causa Albertum

Saxonie

## 122 DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM

Saxoniz Ducem frater ejusdem, quod sacris initiatus esset, inhabilem electoratu putabat, Cuspinian. de divis. Imperat. ob duos competit facta, ne scilicet Ecclesiasticorum numerus, qui ternario concludi debet, multiplicetur.

## VIII.

Quod an etiam ad administratores Episcopatum vel Archiepiscopatum conjugatos Augustanæ confessioni addictos transferri debeat, ita ut & illos in Electoribus succedere vigore hujus Bullæ non posse dicendum sit? Quod negandum est, quia non Clerici, sed Laici sunt, Gerard. Maynard. lib. 1. decis. 23. sunt enim conjugati, neque officijs Ecclesiasticis præsumunt, neque rebus Ecclesiæ se immiscunt, nisi quatenus id politico magistratui permissum, & in hujusmodi prælaturis ea tantum sibi vendicant, quæ olim contra jus & æquitatem Ecclesiastici secularibus magistratibus eripuerunt, neque ullis alijs servitijs abstrahuntur, quo minus personaliter Domino feudi tempore necessitatis adesse queant, Nicol. Bets. c. 7. de pact. illustr. famil.

## IX.

Quid verò si Elector Ecclesiasticus pontificia ommissa religione ad Augustanam sese conferat, & matrimonium contrahat, privabiturne Electoratu? Quæstio hæc ancipitem passa fuit dubitationem, cum Gebhardus Truckses Elector Colonienfis sese Augustanæ confessioni adjungeret, nam contra ipsum inter alia allegabatur Bulla nostra, quæ tres Ecclesiasticos Electores saltem admittit, conjugatus autem Ecclesiastici nomen perdit Maynard. d. decis. 23. & Recessus imperij A. 1555. § vnd nach dem/in verbis wo ein Erzbischoff / Bischoff / Prælat / oder ein anderer Geistliches Standes / von vnser alten Religion abtreten würde / daß derselbe sein Erzbischoff / Bischoff / Prælat / vnd andere beneficia, auch damit alle Frucht vnd Einkommen / so er davon gehabt / als bald ohne einige widerung vnd verzug / jedoch seinen Ehren vnnachttheilig / verlassen sol. Verum hanc clausulam ab omnibus Imperij ordinibus minimè probatam, & Augustanæ confessionis socios illâ minimè se obligari tunc protestatos fuisse, ostendit Johannes Casamirus Comes Palatinus in edito scripto A. 1583. cujus etiam Thuan. lib. 78. fol. 167. meminit, sed Pontificis excommunicatione tactus Cæsar eum Electoratu

ratu abire iussit, excusans quoque Pontificis sententiam, quasi non septemviralem dignitatem, sed Ecclesiasticum munus spectaret, cuius rei cognitio secundum concordata nationis Germanicæ ad eum pertineret: ad quod etsi Legati Principum replicarent, novum & inauditum in Imperio exemplum esse, ut Pontifex ignaro Cæsare, inconsultis tam Ecclesiasticis, quam cæteris septemviris pro sua libidine Archiepiscopum ac Septemvirum inauditum loco ac dignitate summoveat, ipsiq; etiam Electores Saxo & Brandenburgicus ad illud de concordatis responderent, longè aliam rerum faciem extitisse, postquam Augustæ Vindelicorum pax religionis sancta est, nihil tamen apud Cæsarem effectum est, eique Ernestus Dux Baviaræ Episcopus Leodicensis successus fuit. *Thuan. d. lib. 78.* Sed quia de tota hac actione ipsius Gebhardi & Johannis Casamiri deductiones extant, ideò ad eas remississe sufficiet.

X.

Quid si autem primogeniti demortui filius impubes & nec dum ejus ætatis sit, ut Electoratum administrare possit? Tunc frater senior ejusdem primogeniti, ait Carolus, tutor ejus & administrator existat, donec legitimam ætatem attigerit.

Quod tertium juris de novo introducti, & quidem circa tutelam & curam Electoralem est: Nec enim eorum mihi satisfaciunt rationes, qui textum nostrum juxta dispositionem juris communis eo in casu exaudiunt, quo de tutela curave Elector provisionem fecit nullam: Nam si scopum, quem Carolus noster collimare voluit, consideraverimus, & verba textus nostri eam in rem satis aperta judicio nõ perturbato attenderimus, res claro patefcet modo, Scopus ejusdem fuit circa successionem & tutelam Electoralem omnem obscuritatem tollere, ne inter Electorum filios futuris temporibus, ait, scandalorum & dissensionum materia possit suscitari, & sic bonum commune periculosis dilationibus

bus impediri § 1. hic. Atqui si de tutela disponere Electori concessum dixerimus, non scandalis, non dissensionibus futuris obviasset, quippe cum fieri aliter non soleat, quàm nimiooperè proximiorè agnatum, cui tutela deberetur, si alius testamento designetur, offendi 2. Et quomodo *obscuritate succisa* jus cujuslibet *DILUCIDE* se declarasse Carolus in pr. hic testari posset, si non casum illum de substituendo alium per testamentum, si permissum credisset, speciali nota exemisset? Scivit ille optimè, quàm parentum circa filios judicia emanare solent sollicita, quorum votis si tutorem designari tutum, imperioq; commodum putasset, sanè contra illam deprædicatam obscuritatis succisionem casum vel maximè contingentem, & ad quem modis omnibus parentes festinare solent, pede dubio transivisset: Sed quia non excepit, utiq; verbis illis generalibus Bullæ nostræ inclusus erit, stat quippe à parte hac indefinitorum verborum, quæ generalibus assimilantur, prolatio, à qua qui casum alterum testamentarium exceptum dicere velit, manifestis & evidentibus Bullæ verbis id ut faciat, necessum est. 3. Nec potuit Carolus concordiam, ipsi usque adeo per varios titulos & in hoc nostro deprædicatam, inter Electorum filios aliter assequi, nam ante Bullam hanc non solum primogenitus, verùm etiam fratres ejusdem Electores se prædicabant, eoque mortuo, non filius ejusdem, sed secundogenitus spreto nepote Electoratu potiebatur, quod supra ostendimus: Huic quidem juri derogatum, primoque nato, ejusdemq; filio exclusis fratribus & patris successio delata est, quibus in vicem juris successorij illius, neve omninò sese neglectos conqueri possent, id tribatum, vel ipse *Freiber.* fateatur, ut defuncto Electore fratre ejus impuberis filij tutela curave ad fratrem seniore pertineret, quod si ipsi testamento interverri posset, omnis factæ recompensationis effectus non à Carolo, sed Electore restante dependeret, quod admitti nequit, quippe jus omne successionis, tutelaque Electoralis utpote de imperij feudo Regali agens non à Vasallo Electore, sed concedentis domini nemque Imperatoris voluntate oritur, qui quo modo, quibusve conditionibus vult illud concedere potest *c. unic. §. 1. de his qui feud. dar. poss.* sicuti exem-

exemplo est variatio successionis multimoda, fuit quippe tempus, quo omnes filij admissi, *Hotoman. in Francogall. c. 7.* fuit itidem quoad primogenitum solum devolutum regimen, alio admissus senior non inspecta primogenij qualitate fuit; hæc ideo tam variè, quia pro temporum atione alius atque alius succedendi modus Imperatoribus placuit *d. c. unic. §. 1. de his qui feud. dar. poss.* Non itaque collectio hæc recipi potest, testari circa tutelam curamve privatus quilibet potest. Ergo & Electori idem permittendum erit, ne deterioris ille conditionis, quam de plebe alius inveniatur. Recipi, inquam, non potest, nam & privatus ultimo elogio dominum rerum suarum facit, quem vult *l. 1. C. de S. S. Eccl.* Electori verò omnis circa Electoratum inhibita est dispositio *c. unic. de success. feud.* Equidem ædes, agros, vineas & his similia testamento dari audivimus: Regnum autem præstare chartæ beneficio prodigij loco habitum, *inquit Crantz. lib. 2. c. 3. in Dania*, ita ut nec magis idoneum secundo aut tertio genitum primogenito præferre queat, nisi hic sponte sua consentiat, jureque suo paterno iudicio motus cedat, quod Johannes primogenitus Friderici Electoris Brandenburgici fecit, qui ad petitionem patris Friderico fratri Electoratum permisit *Chytraeus lib. 1. Chronic.* Similiter non alia conditione Electoratus Electori conceditur, quam ut post mortem cum filij tutela administratio ejusdem ad fratrem seniore devolvatur. 4. Quod planissimè verbis Bullæ nostræ ulterius evincitur, quæ, dum modum succedendi in Electoratu præscribit, addit, *Et talis successio in primogenitis & hæredibus Principum perpetuò observetur, EA tamen CONDITIONE & MODO, Germanica lectio habet, doch mit der weiß vñnd beding, ut si Principem &c. tunc frater senior ejusdem primogeniti tutor eorum & administrator existat, donec senior ex ijs legitimam ætatem attigerit.* Nam si juxta ductum verborum non aliter quam hac conditione, hoc modo impubes succedere suo patri possit, si senior nempe patruus ejus tutor & Electoratus administrator existat, sanè huic conditioni & modo si satisfactum non fuerit, ad successionem Electoratus impubes admitti nequit, conditio quippe omninò implenda est.

*l. cum avus ff. de condit. & demonst. l. ex facto §. si quis autem ad scutum*  
*Trebell. Tib. Decian. Resp. 1. n. 1. vol. 1.* Non satisfit autem, si testa-  
 mento tutor alius designetur. 5. Et si mortuo Electore T U N C  
 frater senior tutor & administrator erit, non poterit testamento  
 arceri: Nam ut nostri tradunt, dictio T U N C facit conditionem  
 adeò ut necesse sit in forma specifica eam adimpleri, *Tib. Decian.*  
*Respons. 73. n. 26 vol. 2.* 6. Cumq; lex vel statutum qualitatem cer-  
 tam requirit, qualitas illa omninò attendi debet, *Decius Consil. 434.*  
*n. 3. Tib. Decian. resp. 17. n. 7. vol. 1.* Et ideò cum lex hæc imperij in-  
 tutore qualitatem fratris vel agnati senioris exposcat, alium non  
 seniore respuit. 7. Et verba illa, *si Principem Electorem seu ejus primo-*  
*genitum &c. mori, & heredes masculos legitimos Laicos, defectum ætatis*  
*patientes relinquere contingeret*, indefinita sunt; non finiunt enim, an  
 testatum vel intestatum Principem Electorem seu ejus primo-  
 genitum mori oporteat. Indefinita autem locutio etiam in dis-  
 positione legali æquipollet universali, universaliter ergo accipi-  
 enda erit, *l. si quis ita §. 1. de testam. tutel. l. f. C. de suis & legit. Dyn. in*  
*rubr. de R. l. in 6.* Et tam ubi testatus quam intestatus Elector mori-  
 tur, senior agnatus tutor erit. 8. Nec patitur locutio indefinita aut  
 universalis se ad unum constringi casum etiam in materia odiosa  
*Tib. Decian. Respon. 17. n. 16. vol. 1.* Sed propter dilatationem fimbri-  
 arum præsertim in passu nostro, ubi duo saltem casus testati & in-  
 testati occurrunt, utrumque ambitu suo implicabit. 9. Idque  
 vel hac etiam de causa, quod omnia illa, quæ præcedunt, quæque  
 sequuntur designationem tutoris in tit. 7. de novo introducta sunt:  
 Nam quod hodie primogenitus Electoris succedat, id novum est,  
 quod ejus filius excluso patruo succedat, id novum est, quod in  
 Principe Electore completio octodecim annorum statuta sit, id  
 novum est. An non ergo verisimile est, quod hoc quoque, quod  
 de fratre seniore in tutorem & administratorem adsciscendo con-  
 stitutum est, novum sit? Si novum, utique testamento alius tutor  
 dari non potest. Hoc enim novum illud est, quod hac builla in-  
 troduci credimus, & vetus est, jurequè antiquo constitutum,  
 legitimam tutelam testamentario tutore non extante ad proxi-  
 miorem agnatum pertinere *l. 1 ff. de legit. tutor.* Existimat qui-  
 dem *Marq. Freher. d. loco. Rub. singularia*, etiam nova plurima, licet  
 testa-



testamentarius admittatur, subesse: quia matri & avia, dum agnatus eligitur, ad tutelam aditus inhibitor. Verum hoc novum non est, sed vetus est; Nec enim in Imperio unquam observatum, foeminis ad Collegij Electoralis unionem jus fuisse, quod tamen eis, si tutelam filiorum vel nepotum sustinuisent, communicatum fuisset; Foemina quoque per se eligendi partes non habet, successio quippe ejusdem in Electoratu non recipitur, nec itaque per alium consequi poterit, *Francisc. Hotom. c. 19. in Francogall.* Addit insuper *Freher* ex eo, quia solus senior frater exclusis suis fratribus tutor constituitur, novi aliquid introduci, jus enim commune plures ejusdem gradus admittit *l. 9. de legit. tutor.* Verum nec hoc in Imperio novum, sed & ante bullam hanc observatum fuit. Rudolphus enim filius Rudolphi Electoris Palatini ejusdem sui fratris Adolphi relictii filij tutelam solus non attento fratre Ruperto gessit, ne scilicet per plurium tutorum administrationem, numerus Electorum septenarius multiplicetur. Et novum quod nos urgemus, ex eo satis evincitur, quod dum textus noster successionem talem ea conditione & modo primogeniti haeredibus concedit, non ad alium, quam ad ipsum impuberem respicit, opponitque successionem tutelam, illi tunc locum concedit, si frater senior tutelam gerat, adeoq; respectum ad pupillum & tutorem habet, quorum intuitu novum nullum praeter id quod volumus, considerari potest. Nam plures an unus tutor sit, ipsos inter fratres vel agnatos solos disceptari solet. 10. Constat insuper ex Bulla nostra, & quidem titulo hoc 7. quod jus eligendi Regis Romanorum non nisi ad Regem Boemiae, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniae, & Marchionem Brandenburgensem pertineat: quod si vero testamento dari tutor posset, & ad extraneum jus eligendi, si is designaretur, deveniret, quod ne fiat, neve secreta Illustrissimi Collegij in notitiam aliorum perveniant, ipsorum vel maxime Electorum interesse videtur. 11. Et cum ad Electores virtute Regni & Principatum suorum, ut ait textus noster, jus electionis spectet, argumento inde non obscuro colligitur, ad eum, qui virtute illa & spe Principatus omnino excluditur, ut extraneus, non posse tutelam transferri. Admitti ergo solus proximior debet, uti qui sperat habere successionem, idem tueatur Ele-

88 DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM

toratum, quæ ratio est Icti in l. 1. de legit. tutor. 12. Et cum exempla post hanc Bullam facta ingerant verum ejus intellectum per observantiam quandam interpretativam, nec facile mutanda sint, quæ interpretationem usu receperunt l. minimè, ff. de legib. quodq; heri justum visum, hodiè iniquum reputari non debeat, constetq; verò quod Ludovici IV. Electoris Palatini frater Fridericus cōtra testamenti dispositionem ejus filij Philippi tutelam A. 1449. administraverit, *Tribem in Chronic. Sponheimens.* Itē mortuo Ludovico V. Electore A. 1583. Johannes Casamirus ejus frater non atenta dispositione testamentaria tutelam nuper defuncti Friderici Electoris susceperit, utiq; contra actus hosce & quidem judicio contradictorio confirmatos, pronunciare hodiè æquum haud videbitur.

XI.

Si quæramus quamdiu in potestate curatoris minor Electoris filius esse debeat? Respondebit Carolus, donec legitimam ætatem attigerit, si dixeris legitimæ ætatis non unam eandemq; esse definitionem, quod plerumque ea 25. anno terminetur l. cum filiofam. §. si autem. ff. de legat. 3. Nonnunquam ratione materiæ subjectæ decimo quarto absolvatur, *Cothman. Consil. 44. n. 3. vol. 1.* aliquando finem 20. anno sortiatur, l. 2. C. de his qui ven. etat. impetr. Eam itaque sua finitione certam facit Carolus noster: In Principe Electore decem & octo annos complectos censerivult, & perpetuò haberi.

Quod quartum juris de novo introducti, & quidem circa tutelam Electoralem est: Nam jure veteri usq; ad 25. annum adolescentibus curatorum auxilio regebantur l. 1. ff. de minorib. quod cur à Carolo nostro immutatum sit, scholasticam incurere dubitationem

nem

mem potest: Cum enim Ulpiano auctore inter omnes constet, fragile & infirmum hujusmodi ætatum consilium & multis captio- nibus suppositum, multorumq; insidijs expositum *d. l. 1. ff. de minor.* ita ut rei familiaris cura quamvis rem benè gerenti homini priva- to ante 25. annum non permittatur *d. l. 1. inf. multo* certè minus E- lectoratus administratio, utpote in qua majus est periculum, mi- nori concedi debuit, qui ut cursus hujus mundi fluit, non rarò ad otium & illecebras instituitur, inde procax & superbus factus, ver- ba sunt *Arnold. Ferronij lib. 3. de Reb. Gallor.* pro rectis blandà uno- quoque suggerente, ita delitijs, languore, desidia inficitur, & vanis assentionibus, opinionibusq; delinitur animus, ut ad gubernac- ula accedens, in puppi sedens clavum tenendo naufragium sub- vereri interdum contingat: Indignum nostris temporibus esse vi- detur, *ait Iustinian* eum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter privilegia militum jura sapientum hominum pertractare, & in tam tenera ætate ex tali licentia alijs nocere, propriam sub- stantiam extraneis relinquendo *l. f. C. de Testam, milit.* quã ipsa de- causa olim minores ante 25. annum ad Reipub. administrationem non admittebantur, *l. ad Rempubl. ff. de minor. & honorib.* quid tam est præter consuetudinem, *inquit Cicero pro E. Manilia*, quàm homini peradolescens, cujus à senatorio gradu ætas longè abest, imperi- um atq; exercitum dari. *Dij avertant, ait Herodian in Alexandro,* Principes pueros & patres patriæ dici impuberes, & quibus ad sub- scribendum magistriliterarij manus teneant, quos ad consulatus dulcia & circuli & quæcunq; voluptas puerilis invitet, quæ, ma- lum, ratio est? habere Imperatorem, qui famam curare non pote- rit, qui, quid sit Respublica, nesciat, nutritionem timeat, respiciat ad nutricem, magistralium ictibus terrorique subjaceat, faciat eos consules, Duces, judices, quorum vitas, merita, ætates, familias, ge- sta non norit, & ideò Mecænas Octaviano suadebat, ne ad senato- riam dignitatē minores 25. annorum promoveret, addens, cum n- hujusmodi suorum bonorum administratio non concedatur, con- cedatur Reipubl. item ad Præturam 30. annorum, *Dion. Cass lib. 53. hist.* quò respiciens *Plin. lib. 10. Epist.* cautum est, Pompeia lege, quæ Bithynijs data est, ne quis capiat magistrarum, neve sit in sena- tu minor annorum triginta, *Plato in sua Republica voluit legum*

190 DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM

legum custodem, non plus quàm annos viginti eum magistratum habere, nec pauciores natum, quàm quinquaginta, cum gerit, iusmodi lex apud Calcidenses fuit; caverunt enim illi, ne quis annos natus infra quinquaginta magistratum gereret, vel legationem obiret, *Plutarch, in Licurg.* Nam ut inquit *Ovid. Lib. 9. Metamorph.*

*Jura senes norunt, & quid liceat q̄, nefas q̄  
Fas q̄ sit inquirunt, legumq̄ examina servant.*

His similibusque de causis prudentes juris nostri moti volunt, invito etiam Regi dandum esse curatorem usque ad 25. ætatis annum *Tiraquell. quæst. 40. n. 207. de primogenit. Gomez. ad l. 40. n. 9. Taur. & citati à Paulo Montano c. 37. n. 68. & seqq. de jure tutelar.* Est enim contra illum violenta juris præsumptio minus justæ administrationis arg. c. ex eo de Elect in 6. *Francisc. de Cald in l. si curatorem vers. hunc contractum n. 47. C. de rest. in integr.* ubi subjicit, quod quamvis privati inviti curatores non accipiant *q̄. item inviti Inst. de curat.* Aliud tamen in Regibus dicendum, quia illi tantùm de re sua disponunt, Reges verò non tam sua propria, quàm Reipub. negocia tractant, ad quorum quidem administrationem non quale quale judicium sufficit, sed perfectissimum exigitur, quare in reipub. commodum, ait & utilitatem passim receptum est, Regibus invitis curatorem dandum esse, adversus quem, si malè rem gerat, possit experiri. Æquo igitur animo Reges puberes hujusmodi curatores ferre debent, palam cognoscentes Regnorum Imperium ob publicam magis utilitatem, quàm ob proprium commodum sibi à Deo fuisse indultum. Verum enimverò id quidem constat, quod postquam Principes Imperium ad se transtulère, & ipsi magistratus mandare coeperunt *l. 1. ff. ad l. Iul. de ambit.* non ætatis sed voluntatis principalis rationem habitam fuisse *l. quidam 57. in ff. de re judicat.* Olim consulatui præstituti erant 43. anni *Cicero Philipp. 5. in f.* Sed postea Cæsarium temporibus etiam minor consul fieri potuit. Princeps enim inquit *Vlpian. in d. l. quidam in f.* ei, cui magistratum dedit, omnia agere decrevit, & ideò cum Carolus Imperator Electori 18. annum habenti Electoralem dignitatem, & ab ea dependentia dederit, omniaque agere decreverit, sufficere hæc nobis Principis vo-

p̄is voluntas sola posset, quanquam ea quoque rationum monu-  
 mentis non destituatur, Mœcenas Augusto suadebat, ne ad Eque-  
 strem dignitatem minores octodecim annorum deligeret: Hac  
 enim potissimum, dicebat, ætate & corporum firma affectio con-  
 spicitur, *Dion. Cass. d. lib. 53. Histor.* Quod si ille decem & octo an-  
 nis majores equestri dignitati idoneos existimaverit, aptosque qui  
 hosti sese opponerent, indignum fuerit, ut ad vitam suam dispo-  
 nendam Electores equitum nobilissimi dicantur infirmi, & pu-  
 rentur domum suam non regere, qui creduntur bella tractare pos-  
 se, quam consequentiam Theodoricus Rex Gothor. nectit in suo  
 rescripto, quod extrat apud Cassiodorum *lib. 1. Variar. c. 38.* ubi subji-  
 cit: Gothis ætatem legitimam virtus facit, & qui valet hostem  
 confodere, ab omni se jam debeat vitio vindicare: Cumq; quod  
 Cicero dixit, ritè fieri putetur, quod exemplo fit; Ignotum non  
 est Salomonem 12. annos natum in Regem electum fuisse, *lib. 3.*  
*Reg. c. 3.* Alexander Magnus orbe terrarum subactò 23. anno mor-  
 tem obiit, *Cicer. Philipp. 5. in f.* Alexander severus puer adhuc à  
 senatu Cæsar designatus est *Lamprid. in ejus vita.* Otto. 3. Impera-  
 tor annos undecim natus Imperator dictus, *Cuspin. in Otto. 3.* Fride-  
 ricus primus ætate puer sed mente senex electus fuit, *Gunth. lib. 1.*  
*in Ligurin.* Carolus V. 17. anno regnis hæreditarijs profectus fuit:  
 Imperio verò anno ætatis 20. *Sleid. lib. 1. de stat. Relig.* appositè ad  
 rem *Cicero in Philip. 5. in fin.* ab excellenti eximiaq; virtute, inquit,  
 progressum ætatis expectari non oportere, itaque majores nostri,  
 veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant, quas  
 multis annis post attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter  
 æquales, ita sæpè magna indoles virtutis, priusquam Reipub. prod-  
 esse potuisset, extincta fuit. At verò apud antiquos Rulli Decij,  
 Corvini, multiq; alij, recentiore autem memoria superior Affri-  
 canus, Tit. Flaminius admodum adolescentes consules facti tan-  
 tas res gesserunt ut populi Romani Imperium auxerint, nomen  
 ornarint, ex quo judicari potest, subjicit paulò post, virtutis esse  
 quàm ætatis cursum celeriolem, quod *Virgil. quoq; lib. 9. Æneid.*  
 sub persona Ascanii ostendere voluit.

— — — *Nec non & pulcher Iulus*  
*Ante annos animumq; gerens curamq; virilem.*

Bb

Soletq;

Soletq; institutio sollicita, quæ circa Electorum & Magnatum filios adhibetur, ætatis defectum non rarò supplere, conversantur quoq; cum viris gravibus ac doctis, quorum proventum satis ubi-rem Aulæ Electorales proferre solent, qui verò cum sapientibus graditur, sapiens erit, inquit *Salomon. Proverbis. 3.* Nulla res magis animos induit honestos, ait *Senec. ad Lucil. Epist. 6.* & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio: Paulatim enim descendit in pectora & vim Præceptorum obtinet frequenter adspici, frequenter audiri, Electorq; ad regimen Electoratus admissus prudentia consiliariorum suum minus confirmatum iudicium supplere poterit, & id ad tranquillitatem Electoratus videtur expedire: Nam ut inquit *Caspar. Barz. c. 9. n. 30 de decima tutori præstanda*, quid malorum non patitur regnum à tutoribus vel curatoribus administratum, latè & impunè regnat avaritia, quivis in alienum caput violenter grassatur, omnia prædonibus & peculatoribus plena sunt, fluctuat populus tanquam oves pastore destituta, ideò *Paulo Montano. d. 5. 37. n. 71.* utilius & consultius videtur, tutelam regis pubertate seu decimo quarto anno finire, nec ei dandum esse Curatorem, non tamen ut solus & per se proprio motu & consilio administret, sed per se & nomine suo cum consilio & directione delectorum prudentium & fidelium virorum, ut scilicet cesserit invidiosa illa tutorum vis potestasque, & adolescens Princeps potius nitatur communi suorum Principum consilio, & pro uno plures habeat tutores, sed moderatores, nec eò potestatis eVectos, ut quicquid ijs lubeat liceat: Periculosum enim est unialicui tantam tamque diuturnam esse potestatem in res alienas: Rectè ergo Carolus noster mediam quasi viam ingrediens curam Electoralem lapsu decimi octavi anni terminavit.

## XII

Quod si quæsieris, an annum decimum octavum completum esse oporteat.

Sic finè juxta literam textus nostri dicendum est. Sed Freher. de Tutel. Elector. fol. 37. notat mox complendum sufficere: Exiguum enim tempus, ut dimestire, in considerationem non venit. Id enim juris utriusq; censura pro modico habet, l. 2. C. de secund. nups. l. 19. C. de legat. c. unic. Extrav. commun. de auctor. & usu pallij. Et videtur in terminis non dissimilibus respōdere Alb. Gentil. in respons. quod extae. in f. lib. 2. Hispanica. Advoc. quorum tueri videtur sententiam l. si ita fuerit libertas in pr. de manumiss. testam. ubi libertas duodecimo anno relicta compeit anno cœpto: Libertas ergò à potestate Curatoris etiam in passu nostro competere anno inchoato debet: Probanda enim est voluntas adspirantis ad honestam libertatem, quem longa premit custodia & invidiosa vis tutorum, inquit Mones. d. c. 37. n. 42. præferim cum generalis sit definitio, quod in honoribus capessendis cœptus pro completo reputetur l. ad Rempubl. ff. de numer. & hon. Gentil. d. respons. vers. moveor. Sed quia textus requirit decem & octo annos completos, durum fuerit ab eo recedere, in quo cum jure communi consentit, quod minorem eum esse statuit, qui non complevit 25. annum l. 3. §. minorem ff. de minorib. in pr. Inst. de Curator. Ratio est vigor naturalis rationis, qui minus est imperfectus, si completi sunt anni, quam si inchoati tantum sine Surd. decis. 178. n. 9. Lib. 1. Voluntque nostri quod ubi fit mentio anni, tunc perfectum intelligi debere, l. si cui 49. ff. de legat. 1. Natta Consil. 46 in m. 4. tom. 2. Annus quippe non est in rerum natura, si cōpletus non est, Decius in d. l. si cui 49. in pr. ff. de legat. 1. multo magis ergo perfectus requiritur, ubi textus, ut in casu nostro completum esse disertè exposcit: Quod enim Knich. verb. Electorum c. 5. n. 43. de non provocand. jur. putat in constitutione nostra dici, si attigerit 18. annum, id utiq; ex inspectione textus satis superq; refellitur.

XIII.

Quæritur an tempus hoc octodecim annorum parens in testamento coarctare vel prolongare possit?

Bb 2

Et

Et quamvis Freher. de tutel. Elector fol. 4. id affirmare videatur: Quid magis certam habet præfinitionem, inquit, ex lege, quam tempus finiendæ tutelæ aut curæ, tamen & illud à patris potissimum iudicio pendere non tantum leges ipsæ sinunt, *s. ad certum Inst. qui tutor. dari testam. poss. s. præterea Inst. quib. mod. tut. fin. Alciat. 3. Parerg. c. 4. & seqq.* sed & Gentium ille Doctor probat ad Galat. 4. vers. 1. & 2. tantum patriæ providentiæ simul & potestati (in qua nimirum Dei imago relucet) non solum Politica sapientia, sed & ipse Spiritus Sanctus tribuit. Verum negari id rectius erit, quia textus noster perpetuo octodécim annos completos requirit: patet enim ergo iudicium cesset necessum est. Verbum enim, *perpetuo*, idem quod semper denotat, *Tiber. Decian. Respons. l. n. 262. vol. 1. faciendæq;* hæc est interpretatio, ut bulla juri communi consentiat, *s. cum dilectus extr. de consuet. Surd. d. decis. 178. n. 15. lib. 1.* quod masculos puberes usq; annum 25. completum curatores accipere jubet, quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint, ait *Iustinian. in pr. Inst. de Curator. nec ante rei suæ administratio eis committi debet*, inquit Ulpianus, quamvis rem suam bene gerentibus *l. 1. ff. de minorib. & Imperator saltem 20. annum completo veniam ætatis concedere potest l. 2. C. de his qui ven. ætat. impetr. habuitque D. Severus Consulium vel Præsidum decreta quasi ambitiosa, quibus illi ante 25. annum minoribus rerum suarum administrationem concedebant l. 3. in pr. ff. de minorib.* Qui ergo privatus, nec enim Elector illius intuitu, inq; actu testamentario alium respectum accipit *l. 7. C. qui testam. fac. poss. duodevigesimalium annum lege hac publica præfinitum anticipare poterit l. nemo potest ff. de legat. 1.* Nec stringunt illa, quibus Freherus in contrarium movetur. Datum hoc quidem patriæ providentiæ, quod possit parens tutorem ad certum tempus vel ex certo tempore, aut etiam sub conditione tutorem constituere *d. s. ad certum s. præterea.* Verum an non pupillus, quia datus ad certum tempus, puta ad duodecim annorum, desinit esse tutor, in tutelam recidat, hoc in quæstione est, & probari debuit. Extat autem ea de re Ulp. responsum in *l. si quis sub conditione ff. de testam. tutel. si quis*, inquit, sub conditione vel ex die tutorem dederit, medio tempore alius tutor dandus est, quare & si ad certum tempus datus tutor sit, tempore elapso



elapso, alius tutor dandus est, *l. si tutor Reipub. §. 3. ff. de tut. & rat. distrah.* quamvis legitimum tutorem pupillus habeat, quamdiu enim testamentaria speratur tutela, legitima cessat, quod insuper *Freher.* ex Pauli Epistola ad Galat. protulit, eandem recipit responsionem: Quod enim Apostolus parvulum usque ad definitum à patre tempus sub tutoribus esse dicit, id secundum juris intellectum accipi debet, puta si vel parens tempus legale expresserit, vel si decurtaverit sub datis quidem tutoribus esse desinat, recidere tamen in alterius à iudice dati potestatem, *d. l. si quis sub condit.*

XIV.

Postquam verò Elector octodecim annos compleverit, tunc jus, vocem, & potestatem & omnia ab ipsis dependentia, tutor ipse sibi totaliter cum officio tenetur protinus assignare, inquit Carolus noster.

Quæ verba et si satis perspicua sint, si enim tutor jus, vocem, & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia totaliter cum officio Electori assignare tenetur, nihil utique tutor sibi reservare poterit: Omne enim qui dicit, nihil excludit, *l. fin. de pecul. legat. l. Iulianus ff. de legat. 3. c. solita de major. & obed.* Quique totum restituere jubetur, partem nullam retinere poterit, siquidem totum nihil aliud est, nisi quod constat ex omnibus suis partibus absque aliqua detractatione aut diminutione *l. 2. §. ad filiorum C. quand. & quib. quart. pars debet. l. Mævio §. à me ff. de legat. 2. Tib. Decian. Respons. 1. n. 270. vol. 1.* Attamen inventi sunt, qui principatum, ad Electoratum pertinentium administrationem curatori usque ad annum 25. reservari debere putarunt, & ideò Richard. Comes Palatinus Rheni A. 1592. contra Frid. IV. Electorem post mortem Johannis Casamiri tutoris & administratoris Electoralis id seriò urfit, suæ hujus opinionis fundamentum ponens Sigismundi Imperatoris Bullam, cujus copiam exhibet *Freher. post oration. secundam Adfert. propr.*

gubernat. Aetatem autem, habet Bulla, debitam in hoc casu eligendi videlicet Romanorum Regem in Imperatorem promovendum decem & octo annorum censeri volumus, & haberi, in principatibus autem Ducatibus & dominijs alijs temporalibus gubernandis aetatem observandam decernimus, prout à Divis Romanorum Imp. & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum &c. cujus ductu ejus causæ adsertores putabant, in Electoratu quidem sufficere 18. annorum lapsum, administrationem verò Principatus Ducatum, aliorumque dominiorum dispositioni juris communis relinqui. Est enim hoc, quod circa annos Electorios constitutum est, privilegium, & ideò strictissime interpretandum, *Laurent. Sylvan. Conf. 88. vol. 2. Cotman. Responsor. Academic. 14. n. 92.* debetque bulla nostra sic intelligi, quàm minimum lædatur jus commune, *Knich. d. c. 5. n. 41.* Et alia videtur subesse ratio in Electoratu, quàm est in Principatu. Elector plures habet in collegio Electorali collegas, quorum insigni & matura prudentia aetas ejusdem fulciri potest: In Principatibus & Ducatibus cum ijs destituatur, lubricoque aetatis facile labi possit, maturiore aetate ei rectè consultum opinari licet. Verùm hæc opinio bullæ nostræ verbis satis superque refellitur 1. Vult enim quod frater senior tutor & administrator existat, donec legitimam minor aetatem attigerit: Ergò ubi is legitimam aetatem attigit, tutor & administrator esse desinit: Dictio enim **DONEC**, limitativa est, & restringit dispositionem ad tempus expressum, *Tib. Decian. Responsor. 1108. n. 19. vol. 3.* Deinde omnia ab ipsis dependentia restituere cogitur: Qui omne dicit, nihil excludit, Principatus autem ab illis quoque dependent, imò sic ijs uniti sunt, ut jus, vox & potestas eligendi ab ijs separari nequeant *c. 20. infr. 3.* Totalis restitutio faciendæ est. 4. Et quidem cum officio, quod tutor gessit. Nihil ergo tutor retinet, vel si quid retinet, non totalis erit restitutio, nec officium resignatum integrum erit, quod tamen verba volunt. 5. Additque Bulla, quod senior primogeniti & suorum fratrum tutor erit, donec primogenitus vel senior ex ijs legitimam aetatem attigerit: consequitur ergo primogenitus post legitimam aetatem suam

rum fratrum tutelam, ipse ergo in tutela vel cura alterius esse nequit. Nam ut inquit Ulpian. in sua potestate non videtur habere, qui non est suae potestatis *l. sic eveniet ff. ad l. Iul. de Adult.* Et incivile est, ait *Iustin.* qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & sub alijs reguntur aliorum tutelam vel curam subire, *§. item major. Inst. de excus. tutor. 6.* Quid? quod Bullae verbis dicatur habere legitimam aetatem, si octodecim annos Elector compleverit, perinde igitur est, ac si illum 25. annum implevisse dixisset. Nam uti communis est nostrorum traditio, quando lex, aut pragmatica sanctio aliquem, qui 8. annos natus est, pro homine aetatis legitimae habet, non secus de illo, ac si 25. annum implevisset, statuendum erit, *Cotman. d. consil. 44. num. 10.* ubi in terminis nostris n. 11. subjicit, Elector si aetatem eam attigerit, perinde habetur ac si 25. annos implevisset. 7. Et si idoneus est ad Electoratum, casuque contingente Imperij administrator aptus reputetur, juxt. tit. 5. sup. Utrique suis Principatibus non inutilis reputari debet: Bene *Ambros. in lib. de offic.* An putabo, inquit, idoneum, qui mihi det consilium, qui non dat sibi, & mihi eum vacare credam, qui non vacat sibi? Quis utilem alienae causae judicet, quem videt inutilem esse suae? 8. Atque hanc sententiam diserte comprobatur constitutio alia Caroli IV. quae itidem Nurembergae & quidem post hanc Bullam anno 1356. die Johannis Evangelistae in causa Rupertorum perlata est, *Wenn aber derselbe elter Sohn achsehen Jahr alt wird / (verba sunt Constitutionis) zuhand sol ihm derselb Vormunde alle Lande / Herrschafft / Würdigkeit / Ehren / vnd ander Rechten / Nutzen vnnnd Zugehörigen / die er als ein Vormund eingenommen hat / ohne alle widerrede / verzug oder Hindernisse abretten / vnnnd ihm die einantworten ohne geferde / &c.* Atque ita in persona Christiani 2. Electoris Saxoniae Domini mei Clementissimi, pietissimae recordationis, observatum scimus. Ei quippe Fridericus Wilhelmus Tutor & administrator, Dominus meus Clementissimus, beatiss.

beatissimæ memoriæ non solum Electoratum, verum etiam Prin-  
 cipatus, dominia, & alia ab eo dependentia summâ voluntate re-  
 signavit, quod & anno superiore in moderno Electore Palatinatus  
 observatum meminimus, quæ exempla cum non aliter ab Imperij  
 proceribus Bullam nostram intellectam esse ostendant, utique per  
 Sigismundi Bullam alius ei sensus affingi non debet, arg. *l. minime*  
*ff. de legib.* præsertim cum posterior Sigismundi cum hac nostra  
 probabili interpretatione in concordiam reduci queat: Agit enim  
 Sigismundus in sua Bulla non solum de ipso Ludovico Comite  
 Palatino Electore, eumque legitimum Electorem esse declarat, ve-  
 rum etiam ipsius hæredibus & successoribus, ne inter hæredes &  
 successores ipsius aut Sigismundus, litium materia oriatur, &c. qua-  
 re si plures in familia ea extent fratres, primogenito quidem debe-  
 tur Electura & si minor sit, ætatem debitam decem & octo anno-  
 rum censi vult: At quod si vel pactio familiæ, vel rata patris vo-  
 luntas secundo aut tertio genito Ducatum aut Principatum, ubi  
 ad legitimam ætatem pervenerit, tribuat, hoc in passu Sigismun-  
 dus in Principatibus autem ait, Ducatibus & dominijs alijs tem-  
 poralibus gubernandis ætatem observandam decernimus, prout à  
 Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus nostris prædeces-  
 soribus est sancitum, atque ideo secundo aut tertio genitus Electro-  
 ris, cui vel ex pactioe familiæ, aut ex rata patris voluntate debe-  
 tur Ducatus, in cura erit usque ad 25. annum. Hæc enim ætas à  
 prioribus Romanorum Imperatoribus est statuta *l. i. ff. de minorib.*  
 Quod quoque oppositum fuit, hoc, quod circa annos Electorios  
 constitutum est, ut privilegium strictissime interpretandum esse,  
 respondemus, non extensione nostra, sed Bullæ clarissimis verbis  
 spacium ætatis præfinitum ad Principatus & dominia Electora-  
 tum annexa transferri, quo ipso resolvitur quoque alterum id,  
 quo, bullam sic intelligi debere, ut quam minimum jus commu-  
 ne lædatur, adserbarur. Ipsa enim Bulla cum semet explicet,  
 frustra de constringendo eius intellectu quæritur. Quodque de-  
 nique à ratione diversitatis inter Electoratum & Principatum al-  
 latum fuit, nihil sententiæ nostræ officit: quia Electores ipsi in re-  
 gimine sui Electoratus, de quo agitur, non magis, quam in admi-  
 nistratione suorum dominiorum adsistent, ut a paritate rationis,  
 quia

quia illo casu idoneus, & hoc, quo scilicet Principatus suo regi-  
mini adseritur, talis haberi debet.

XV.

Quod si quæsieris, an vigore hujus Bullæ Princi-  
pes & Duces reliqui, ubi octodecim annos com-  
plerint, Ducatum dominiorumq; suorum  
administrationem suscipere  
possint?

[Respondet quidem Cothmannus *d. consil. 44 n. 52. vol. I. ex Bulla*  
hac argumentum a contrario sensu legitimè duci, & Duces infe-  
riores multò magis ab anno. 18. ad ætatè legitimam pervenire, &  
Ducatum suorum dominium & administrationem suscipere: E-  
jus tamen sententia mihi non placet, cum propter Bullam Sigis-  
mundi, quæ ætatem 25. annorum requirit, tum quia textus noster  
loquitur saltem de Electoribus, qui cum privilegium contineat,  
traduci ad alios non potest: Nec stringit Cothmanni argumētum,  
quia si ideò Duces inferiores, quod ipsis Electores, sic n. ponendum  
est, superiores sunt, multò magis 18. anno. in suã tutelã pervenire  
debeant, sanè ea argumentatione minor privatæ conditionis mul-  
tò magis ea ætate bonorum suorum administrationem conseque-  
retur, quia Electores illis longè superiores sunt. Verùm à majori-  
tate vel paritate rationis in materia privilegiorum, utpote quæ à  
soliis concedentis voluntate dependent, arguere non licet: Privi-  
legia n. extensionem non admittunt, *Cothman. d. Resp. Acad. 14. n. 92.*

XVI.

Et quidem hæc hæctenus dicta obtinent, ubi Ele-  
ctorum extant legitimi successores, quod si au-  
tem contingat, aliquem ex Electoribus sine ijs  
decedere, constituit Carolus, si aliquem ex hujusmodi  
Principatibus ipsorum, ait, imperio sacro vacare contin-  
geret, tunc Imperator seu Rex Romanus, qui pro tempore fuerit,  
de ipso providere debebit, & poterit, tanquam de re ad se &  
imperium legitimè devolutæ, *s. si verò hic.*

66

Quod

Quod enim Justinianus de Usufructu civili dixit, ne in universum inutiles essent proprietates semper abscedente usufructu, placuit certis modis extinguere eum, & ad proprietatem reverti. *§ 1. Institur. de usufr.* Id ad usufructum feudalem recte transferri potest, constitutumque, ne proprietas feudorum abscedente semper eorum usufructu inutilis esset, certis modis eum quoque extinguere, & cum proprietate consolidari, *c. unic. quæ fuit prima ca. benef. amitt. c. unic. quib. mod. feud. amitt. cum similib.* Inter quos & ille est, si vassallus sine successore feudali moriatur, tunc quippe feudum pleno jure ad dominum revertitur, *c. unic. quemad. feud. ad filiam pertineat.* Quare & si Elector sine feudali successore decedat, Imperator tanquam de re ad se & ad Imperium devoluta disponere poterit, quod tamen non eum intellectum recipit, quasi in ipsius arbitrio sit Electoratum vel sibi retinere, aut etiam alij reinfeudare: Textus quippe noster consolidatione facta verbum hoc **D E B E B I T** de ipso providere, addit, ut intelligamus, necessitatem ipsi Electoratum alij vicissim in feudum tradere, imponi, idque ne numerus Electorum septenarius minuatur, & ideo verba textus nostri *de ipso providere debebit & poterit*, sic interpretor, debere Imperatorem devolutum ad se Electoratum reinfeudare, posse tamen pro arbitrio, cui velit, concedere, nec necesse habere illis, qui forsan ex sanguine defuncti Electoris supersunt, assignare, quod præter hunc textum comprobatur quoque *c. unic. vers. si autem dominus, quemad. feud. ad filiam pertineat. Gail. lib. 2. observat. 148. n. 3.* quo fundamento inter cætera investitura Electoratus Saxonie a Sigismundo Imperatore Friderico Primo Misnensi excluso Erico facta defendi potest, licet *Crantz. lib. 9. c. 19. in Saxon.* contra nitatur. Ducatus quippe Saxonie cum Electoria dignitate non toti familie Principum Anhaltinorum in feudum datus erat, sed quibusdam tantum, puta sibi, filijs & nepotibus, vel ijs sine heredibus masculis descendentibus, ut ad hunc vel illum & ejus heredes legitimos perveniret, & ideo cum Albertus Wenceslai filius Anno 1422. rebus humanis sine masculo eximeretur, nec aliquis vocatorum amplius extaret, potuit utique Sigismundus vigore Bullæ paternæ de Ducatu illo Electorali tanquam

quam de re ad se & imperium legitimè devoluta disponere, *Knib. 6. 2. n. 15. vers. Electorum, de non prov. jur.* Quæ quidem ratio cum generalis sit, adaptariq; queat ad Ducatus, Comitatus, aliaque feuda Imperij immediata, paritate rationis & de ijs Imperatorem disponere posse dicendum videtur, inque eo ut *Bodin. lib. 2. c. 6. de Repub.* ait, imperij majestas elucet, cum militias ex casu ac beneficia militaria sua unius sponte arbitrioque largitur, quod exempla, quæ ante hanc Bullam contigerunt, insinuant, cum Austria tempore Rudolphi I. Imperatoris viduata ad Imperium devolveretur, eam filio Alberto, qui primus Archiducum Austriæ plantator fuit, concessit, sic defuncto Woldemaro Marchione Brandeburgensi Ludovicus Bavarus Marchiam in filium transtulit, *Peucer. lib. 5. Chronicor.* Verùm post hanc Bullam capitulationibus posteriorum Imperatorum cautum videtur, id cum Electorum adsensu fieri debere, quod inter alia formula privationis Wenceslai Imperat. ostendit. Nam cum Electores Imperatoria dignitate eum privarent, formulæ inseruerunt, als der den Herrn zu Weiland zum Fürsten vnnnd zu Paphen zum Grafen gemacht auff des Reichs Städte / Schloß vnnnd Güter. Et Caroli V. Imperatoris capitulationi additum, Imperij bona quæ fortè vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat, *Sleid. lib. 1. de statu Religion.* Hinc Regis Galliarum Legatus apud Imperatorem admonuit Henricum Regem, non esse ferendum illud, quod Carolus V. Imperat. Philippum filium extra conventus, ac sine Principum Germanorum consensione vel autoritate Anno 1551. Bruxellis Mediolani Ducem designavisset. *Bod. d. c. 6.* In capitulatione quoque Rudolphi II. quæ penes me est, hæc leguntur verba, Vnnnd nach dem das heilige Römische Reich fast vnnnd höchlich in abnehmen vnnnd ringerniß kommen / so sollen vnnnd wollen wir neben anderen die Reichs Steuer der Stände vnnnd andere Gefälle / so in sonderer Personen Hand gewachsen vnd verschrieben / wieder zum Reich ziehen / vnnnd nicht gestatten / daß solches dem Reich vnnnd gemeinen Duz wieder Recht vnnnd alle Billigkeit entzogen werde. Es wehre denn / daß solches mit rechtmässiger Bewilligung

Et 2

der

der sechs Churfürsten geschehen were / was auch von Lehn dem Reich  
 vnd vns bey zeit vnserer Regierung eröffnet / vnd ledig heimfallen wird /  
 so etwas mercklichs ertragen / als Fürstenthumben / Graffschafften / Herr-  
 schafften / Städte vnd dergleichen / die sollen vnd wollen wir ferner nie-  
 mandes leihen / sondern zu vnterhaltung des Reichs / vnser vnd vnser  
 Nachkommen / der König oder Kayser behalten / etziehen vnd incorpo-  
 riren / biß so lange dasselb Reich wider zu wesen vnd auffnehmen kompt /  
 &c. Atq; hujus suæ promissionis memor, cum A. 1598. Philippus  
 II. Hispaniarum Rex per Franciscum Mendozam Tarraconensem  
 Amirallum ab ipso peteret, ut Vicariatu Visentij ipsum donaret,  
 urbs est in Sequanis quam Jure feudi clientelari obsequio ab Im-  
 periali Camera, verba sunt *Botorei*, Guilielmus Nassovius Arausi-  
 ensis Dynasta possidebat, respondit Cæsar, inconsultis Principi-  
 bus Imperij id ritè peragi non posse *Rudolph. Botoreus lib. 5. Comment.  
 de reb. toto orb. gest.* Ex quibus hallucinari eos constat, qui capita-  
 tionem Imperatoriam aliò detorquere satagunt: Verba enim cla-  
 ra sunt, ratio itidem Rudolphina inserta, domit dasselbe Reich wider  
 zu wesen vnd auffnehmen kompt / utique prægnans reinfeudationem  
 insciis Electoribus avertatur, pristino quippe vigori & robori im-  
 perium restitui non aliò modo potest, quàm ei incorporando, quæ  
 aperiuntur feuda, & ea quæ ab injustis dominis detinentur manu  
 forti reperendo, sanè regnum Gallia per illam rationem in eam  
 potentiam, quæ ante oculos est, pervenit, teste *Choppin. de doman.  
 lib. 1. tit. ult. & juris regulis hæc sentètia congruit, quæ omnem Du-  
 catum ad Imperium pertinentium alienationem prohibent Vassq.  
 lib. 1. c. 3. n. 8. c. 4. n. 4. & seqq. Illustr. controuv. Pruckm. c. 4. membr. 2. ef-  
 fect. 6. n. 11. §. solut. potestas*, quibus Capitulatio Imperatoria con-  
 gruit facultates Imperij, ait, neque distrahat, neq; oppignoret, nec  
 aliò quovis modo deteriores faciat, *Sleid. d. lib. 1. de stat. relig.* cui  
 verò alienatio non permittitur; nec is reinfeudandi potestatem  
 habet, quia est species alienationis, *c. unic. per quos fiat invest. Borck.  
 c. 5. n. 42. de feud.* Ob quam causam minor, rem à suis majoribus in-  
 feudum concessam, sibiq; ante legitimam ætatem apertam non  
 poterit eam absq; decreto magistratus de novo alij reinfeudare,  
*Heinric. Rosenth. c. 3. conclus. 15. nu. 2. de feud.* Nec hæc opinio per  
 hunc textum nostrum labefactatur, siquidem alia ratio in Electo-  
 ratibus, alia in Ducatibus, aut Comitatus viget: Electoratus si  
 aperitur



aperitur ad alium transferri, ne numerus Electorum septenarius minuatur, debet, quæ inspectio cum in cæteris feudis Regalibus cesset, non mirum si jus aliud in illis per capitulationes Imperatorias receptum sit: Atqui dices, non satis per hoc explicari cur non ut in Ducatus nova concessione consensus Electorum requiritur, ita & in Electoratus infeudatione idem exposcatur, cum hoc casu vel maxime Electorum, ne ipsis invitis Collega adjungatur, interesse videatur. Verum responsio ex primæva horum feudorum natura dependet, qua Imperatori, ad quem ut Electoratus, ita & Ducatus, & Comitatus vacantes revertebantur, permittebatur liberè sine aliorum consensu eosdem, cui vellet, reinfeudare, *c. unic. vers. callidis de prohib. feud. alienat. per Frideric. c. unic. quem ad. feud. ad fil. petr.* in Ducatibus per Capitulationes Imperatorum sequentium id immutatum esse, jam ostensum est; in Electoratus vero permansit jus vetus incorrectum, quod & hac bulla repetitum est, qua quidè et si sine Electorum consensu potestas eos infeudandi Imperatori tribuatur, & hoc intuitu amplior, quam in Ducatum, aliorumque Regalium feudorum reinfeudatione effulgeat, attamen in eo vicissim à primæva eorundem naturâ recessum est, quod nō ut olim pro arbitrio *c. unic. de his qui feud. dar. poss.* sed per bullam hanc nostram eosdem alij de novo in feudo concedere debet.

## XVII.

An verò Imperator consanguineis suis Electoratum ad se reversum reinfeudare possit?

Et quidem arguendo ab Emphyteusi ad feudum, quod licet juxta *Everh. in Topic. in loc. ab Emphyt. ad Feud.* id negandum videbatur: Nam in *Novell. 120. c. 5.* sic constitutum legimus, Oeconomis verò, inquit, ut reliquis venerabilium locorum ordinatoribus & parentibus, verum & filiis, & alijs, qui per genus eis, vel nuptiarum jure conjuncti sunt, interdiciamus Emphyteusin concedere. Verum quia ordinata charitas à se & suis incipit, *argum. l. si præses. C. de servit. & aqua. s. non satis est, dist. 86.* Et exempla Rudolphi I. qui Alberto filio Austriam, Ludovici Bavari, qui Electoratum Brandenburgensem filio concessit, *Peucer. lib. 5. Chronic.* observantiam con-

erariam insinuant, rectius id adfirmabitur, praesertim cum & ratio textus nostri id non abnuat: Si enim de vacante Electoratu tanquam de re ad se & imperium legitimè devoluta, providere poterit, utique vi hujus juris & factæ ad ipsum devolutionis poterit eum & in sanguine junctos conferre: Nam non minus res ipsius hoc casu, quàm illo, quo in extraneum transfertur, esse perhibetur. Nec movere nos in contrarium Novell. opposita debet, siquidem argumentatio ab Emphyteusi ad Feudū cessat, ubi diversa ratio extat, quæ in casu nostro hæc est; Dandus n. pro Emphyteusi est Canon, quem verosimiliter vinculum sanguinis magis dominu- &, quàm augebit, sicque in fraudem Ecclesiæ verget, unde *Alciat. reg. 1. præsumpt. 29. n. 1.* dicit, quod alienatio facta per prælatum in consanguineos præsumitur non in Ecclesiæ utilitatem facta, sed potius ipsorum consanguineorum, & *Bald. in l. tutor peritus §. 1. ff. de Excusat. tut.* tradit per illum textum ibi colligi argumentū, quod Papa conferens beneficium consanguineis, præsumitur fecisse ex affectione carnis, non ex revelatione Spiritus, quoniam ut ait *Glossa in c. pervenit 1. quæst. 3.* Episcopi & Prælati sunt cæci circa nepotes & alios cōsanguineos: Pro feudo & quidem Electorali nullus datur Canon, sed gratis & benevolentia non pecuniā concedi solet, *c. unic. in f. in quibus caus feud. amitt.* Et per consequens præsumptio illa diminutionis cessat; Nec impedit servitia pro eo præstari, quorum diminutionem consanguinitas haud difficulter obtinebit, inquit, quoniam non potest cōcedens in præjudicium Imperij alia conditione illud dare, quàm qua antiquitus ex consuetudine tribui consuevit, *c. unic. in pr. de his qui feud. dar. poss. c. unic. verb profectò de leg. Corradi.*

## XIIIX.

Regnum verò Bojemix si vacare contigerit, non illud ut reliqui seculares Electoratus ad Imperium redit, sed statibus Regni Bohemix juxta cōtinentiam eorundem privilegiorum & observatam consuetudinem diuturnam à Romanis Imperatoribus obtentorum alium in Regem eligere conceditur.

Ex

Ex quo satis apparet, Regnum Bojemix Imperio subiectum esse: Exceptio enim quæ circa Electionem novi Regis versatur, ostendit id juri subjectionis in alijs relinqui *l. quæsitum § idem respondit ff. de fund. instr. legat. Decius in l. 1. ff. de R. I. Unde Dubrav. lib. 9. in pr. Histor. Bojemic.* Bojemos Germanis permixtos ipsam Germaniam inhabitare scribit, & *Æneas Sylvius c. 1. Histor. Bojemic.* Bohemiam Germaniæ portionem facit, Henricus Auceps Imp. eam Imperio tributariam reddidit, *Peucer. in Chron. lib. 4. in Heinr. Aucup.* Et ideò Imperator Albertus à Wenceslao Rege Bojemorum decimas argenti, quod, in Bojemia ex montibus, puteisque argenteis eruebatur, petijt, rationem hanc addens, eodem jure, eademque conditione obligatam esse Imperio Bohemiam, qua cæteræ Principum in Germania Provinciæ, quæ à Cæsare jurisdictionem suam accipiunt, ut meritò Cæsar vicissim ab illis decimas metalli exigat, à quo etsi Wenceslaus peteret ut vectigalibus Cæsaribus debitis contentus esset, prætendens Reges, & ante illos Principes Bojemix sic à Germanis Cæsaribus in fidem & amicitiam receptos esse, ut præter honorem, quem Cæsareæ majestati deberent, cætera immunes essent & liberi, tantùm abfuit, ut Imperator acquieverit, ut bellum Regi intulerit, *Dubrav. lib. 18. Hist. Bojem.* Sed & subjectionis argumentum aliud textus noster suppeditat, dum privilegium hoc de eligendo novo Rege à Romanis Imperatoribus Bojemis indultum dicit: Qui enim privilegium concedit, ut superior sit, quique id accipit, ut subiectus sit, necesse est, *Rutger. Ruland. part. 4. cap. 3. nu. 27. lib. 2. de Commissar.* Et dum Carolus id confirmat, subjectionem adstruit, confirmatio enim est actus superioris, ut nec parus, nec inferioris dici possit, *§. interim Novell. 15. Natta Consil. 636. n. 81.* Quique insuper collectas imperio solvere coguntur factò eo se subiectos esse ostendunt, *Natta d. Consil. 636. num. 79.* Ex imperij autem matriculis Bohemos ante hæc tempora easdem contribuisse apparet, sicuti ex editis à Brunovicensibus Actor. tom. 2. matriculis videre est, & etiamnum hodiè Imperatorem in Italiam proficiscentem in persona Rex Bohemix sequi cogitur. *Hartman. Maur. de Coronat. Carol. V.* quæ reverentiæ exhibitio  
similiter

similiter subjectionem arguit, *c. solita de major. & obedient. Cephalus Consil. 369 n. 62.* Nec movet, si quis ex *Hartmanno Mauro d. loco* opponere velit, Bohemum subjectum Imperio propterea haberi non posse, quod non operas Imperio, voluntariasque collationes hodie præstet, neque gratuita onera ferat, aut etiam Circulis illis, in quos Imperium digestum atque partitum est, comprehendatur: Nam præterquam, quod jam dictum est, eum subjectionis in signum Imperatorem subsequi, & ideo totaliter subjectioni exemptum non esse, etiam dici potest, aliud esse quærere, an subjectus sit? & aliud, an à Collectis, oneribusque alijs immunis sit? Hoc modo licet quis exemptus sit, non propterea tamen subjectus esse desinit, Archiduces Austria non minoribus ferè privilegijs donati sunt, & tamen subjecti Imperio sunt: Comes Hollandiæ quondam pro Imperij Principe habitus fuit, & tamen liberrimus fuit, unde cum Wilhelmus in ordinem Equestrem ante coronationem Imperialem reciperetur, his verbis juramentum exorsus est: Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ, militiæ Princeps, sacriq; Imperij Vasallus liber &c. Exemptio itaq; præjudicare in subjectione Imperio non potest, sed in casibus non exemptis manet jus ejusdem salvum illibatumque.

F I N I S.



DISCUR

### Corollarium.

S,  
S  
Clericos nullo modo in feudum paternum succedere, textus, 2. Feud. 26. vers. qui Clericus, & 2. Feud. 30. vers. ex hoc, satis evidenter demonstrant. Num autem idem quoq; obtineat eo in casu, quo Clerici per substitutum domino servire volunt, magna est Dd. & Interpretum digladiatio? Affirmativam opinionem licet multi sequantur, ego tamen quò minus in affirmantium castra descendam, non Dd. vel Interpretum autoritate, seu textibus juris nostri feudalis expressis, moveor atq; compellor.

---

### Errata benevole Lector sic corrige.

Æ  
Pag 168. lin. 18. pro annexi leg. annixæ. pag. 171. lin. 14. post. voc. Imperialibus, infere voc. Regibus. pag. 173. lin. 16. leg. Colinio. pag. 174. lin. 24. leg. Alconia. pag. 175. lin. 26. leg. Arconatus. pag. 176. lin. 6. leg. sic ut, & lin. 7. extubentur. pag. 177. lin. 3. pro loquitur, leg. legitur. & lin. 9. leg. Electoratu. pag. 185. lin. 5. leg. ratione. Pag. 188. lin. 25. leg. completos. pag. 189. lin. 22. exercitum. pag. 191. lin. 1. leg. momentis; & lin. 21 leg. præfectus. pag. 199. lin. ult. devoluta. pag. 200. lin. 31 leg. decedentibus, pag. 204. lin. 10. pro dominu &, leg. diminuet.

F I N I S.



atras  
op-  
on  
no-  
in  
ur:  
fl-  
ex-  
je-  
loc  
esse  
nati  
on-  
ur,  
rio-  
est:  
m-

DS A 1104

ULB Halle 3  
003 765 547  



LD 112

81.









JEHOVÆ PRÆPOTENTIS MONARCHÆ  
auspiciis,

*Discursus quartus*

Ad Aureæ Bullæ CAROLI  
QVARTI Rom. Imp.

# LEGES IMPERII FUNDAMENTALES

*Authoritate Majorum*

Publico disputantium examini, & omnium  
publici juris Indagatorum censuræ

EXPOSITUS;

*Quem*

PRÆSIDENTE

*Amplissimo & Consultissimo Viro,*

Dn. DOMINICO ARUMÆO, Jcto  
Celeberrimo, in Inclyta Jenensium Acad. P. P. ibidemq;  
Curia Provincialis & Scabinatus Assessore digniff.  
Antecessore suo multis nominibus æter-  
nùm honorando.

*In auditorio Jctorum propugnabit*

ANDREAS RUDINGERUS RUDERS-  
DORFO-THUR.

*30. August. horis consuetis.*

JENÆ

*Excudebat Tobias Steinman, Anno 1617.*